De ſynodis archidiaconalibus ac ruralibus. Cap. XIX.

DEnique Archidiaconi, qui Epiſcoporum oculi dicuntur, ac Decani iſti rurales in ſuis deinceps ſynodis, quæ ſancita fuerint, in prouintiali ſeu epiſcopali Concilio publicabunt, Et ad eundem modum (qui in Viſitatione præſcriptus eſt) vitijs extirpandis ac virtutibus inſerendis ſtudeant, criminibus publicis, magis per pœnitentias canonicas, quam pecuniæ exactione puniendis, intenti.

Officiales Archidiaconorum & Decanos rurales, viros graues eſſe oportere. Cap. XX.

QVod vt recte ac prudenter fiat, Archidiaconis noſtris incumbit, ne vllos inidoneos Officiales aut Decanos rurales deligant aut admittãt, ſed ad has functiones viros tantum aſſumant, cum doctrina præſtantes, tum vitæ innocentis, inculpatæq;, qui nullius criminis labe notabiles, officium ſuum irreprehenſibiliter exequantur.

Synodi archidiaconales antiquitatẽ quandã præ ſe ferũt. Ca. XXI.

c. 1. de offi. archi. Hunc canonẽ renarrat B. Rhenanꝰ in procemio Tertulliani.

EX vetuſtiſſima quadam inquirendorum criminum formula relictum eſt, vt Archidiaconi anno biſextili circumeant, & peccata enormia emẽdent, quæ ſequitur in hæc verba. IN CONCILIO publico ab Epiſcopo habito, primitus iurare debent de villis ſingulis fideliſſimi quiq;, liberi & ſerui, tres vel quatuor, ſeu etiam plures, vt rei veritas omnino inquiratur. Iuramentum autem illud huiuſcemodi eſſe debet, Quicquid in villa in qua habitat veraciter ſciat vel ſerio audierit actum contra fidem rectam & Chriſtianitatem, Epiſcopum aut eius nuntium, quantum recordari poſſit & ſcientia ſubminiſtrat, non lateat. Poſt iuramentum vero Epiſcopus per ſingula numerare debet, quæ prius iuramento comprehendit, hoc eſt, Si vir ſuper vxorem ſuam, aliquam clanculo corrupit, Si cum duabus cognatis, ſiue mulier cum duobus propinquis fornicata ſit, Si commatrem ſpiritalem aut filiolã ſuam ſtupro violauit, Si qua mulier partum ſuum necauit, vel conceptum quocunque modo excuſſit, Si quis cognatum ſuum voluntate an caſu occidit, ſeu morbidum fecit, & necdum ad publicam pœnitentiam venit, Si mulier maritum ſuum, aut maritus vxorem ſuã iniquo conſilio interemit, Si quis virum aut fœminam veneno, aut aliqua alia potione occidit, & qui hoc ſcilicet veneno machinatur, Si ſciant diuinatrices vel augures, etiam illos, qui per incredulitatem illas inquirant, Si ſciant meretrices, quia meretrix appellatur, ſi vno contempto, cum alijs fornicatur, licet nupta non ſit, Si illos etiam ſciant, qui cum excommunicatis communionẽ habent, Si illos ſciant, qui cõuicti ſunt periurium perpetraſſe, Si & illos nouerint, qui loca deo non dicata, contra fidem eccleſiaſticam colunt, & ad Chriſti eccleſias venire

contem